

decem perticarum a dictis molis et portu; item in platea nova post palacium comunis vel super arcinos salinarum comunis, et hoc sub pena centum sold. par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta, et precones omni edomata saltim
 5 semel inquirere teneantur predicta et contrafatientes accusare, et ipsis ac cuilibet¹⁾ ipsorum acusanti adhibeatur plena fides cum sacramento eis accepto, et etiam quelibet alia persona accusare possit,²⁾ et acusatori adhibeatur fides ut supra, et habeant tertiam partem condempnationis facte occasione sua-
 10 rum acusationum.

Cap. LXXXIII. De inpedientibus plateam et vias comunis cum stanghis vel aliis rebus in civitate Tergesti et ecclesiis.

15 **I**nhibemus statuendo quod aliqua persona civis vel habitatrix Tergesti non sit ausa vel pre- // sumat impedire 167 B plateam comunis cum aliquibus banchis dischis seu schanis vel aliis lignaminibus, vel cum aliquibus mercimoniis, videlicet aleum et cepe et similibus, sub pena centum sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Nec etiam aliqua
 20 persona sit ausa in viis publicis super stratis publicis vel consortium tenere aliquas stanghas vel alia(m) lignamina per transversus ipsas stratas, sub pena decem sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta, et nichilominus remove teneatur dictas stangas. ¶ Insuper si aliqua persona tenuerit
 25 in viis publicis vel consortium aliqua cobiculla vassa vel vegetes, et deinde receperit aliquod dampnum, nulla sibi fiat ratio per dominium contra sibi inferentem. ¶ Insuper aliqua persona non sit ausa tenere vassa cobicula lignamina pelles coriamina et alias res inpedientes ecclesias in ecclesiis Sancte
 30 Marie de mari, Sancti Nicolai de foris Portam Riburgi, ac in aliquibus aliis ecclesiis scitis in civitate Tergesti, sub pena centum sold. par., et acusator habeat medietatem condempnationum et credatur sibi cum sacramento.

¹⁾ *civilibus.* ²⁾ Aggiunta sul rigo.